



Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta *theologia moralis*

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

§. II. Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

Con. Gran. Avil. & alii negant, peccare mortaliter, quia Tridentinum monere potius videtur, quam præcipere: addit Tamb. ne venialiter quidem peccare, sed contradicunt communius, quia est aliqua saltem levis deordinatio.

§. II.

Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.

CERTUM est, peccare graviter sacrilege, si existens in irregularitate suscipias ordinem; imo etiam pri-mam tonsuram, utpote contra grave præceptum Eccle-siae ex motivo Religionis, sive ea irregularitas erat ex delicto, sive ex defectu: idem est, si suscipias Sacer-dotium existens in peccato, vel in excommunicatione, etiamsi occulta, et si minori, cum sit Sacramentum: idem communissime docent Doctores de Diaconatu: idem communius de Subdiaconatu: idem communiter de Ordinibus Minoribus: utpote Sacramentis (De prima Tonsura videtur venialis; quædam deordinatio eam suscipere, & non in statu gratiæ, cum non sint Sacra-mentum) Eadem dic de interdicto personali speciali. Si autem cum suspensione suscipias alios ordines, non peccas graviter, nisi ei adnexa sit inabilitas ad eos suscipiendos; quia suspensio præcise accepta prohibet tan-tum usum præteritorum. Denique probabile est cum Suar. & aliis contra alios, illum, qui suscipit Sacer-dotium in excommunicatione, aliave censura, non in-currere irregularitatem, et si tunc celebret cum Ordinan-te; quia non est actus distinctus ab ipsa ordinatione, sed ejus complementum.

Quæres, An valide ordinetur Irregularis, vel Cen-satus ignotus Episcopo ordinanti?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, et si Episco-pus enunciare faciat, se non intendere ordinare Excom-municatos, Irregulares, furtive accedentes, &c. tamen post hanc protestationem solet absolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad solum effectum illos ordines suscipiendi; & eam solum ad terrorem enunciat, & præ-sumitur (nisi oppositum constet) priorem voluntatem mutare, dum actu ordinat: v. Sanch. l. 7. de Matr. 16. II. Addit

Addit Sa, verba illa intelligi, si sciat talem esse; quare
is, quem ordinat, non sciens talem esse, vere est ordinatus: hæc Sa; non tamen omitterem, ait Tambur: conditionatam reordinationem.

C A P U T IV.

De Circumstantiis Ordinationis.

D I S C U T I E N D A hic sunt: I. Ætas Ordinandorum:
II. Tempora Ordinationum: III, Extra tempora:
IV. Interstitia: V. Locus, & reliquæ Circumstan-
tiae ad Ordinationem requisitæ.

§. I.

De Ætate Ordinandorum.

Q U A M V I S olim requirebatur major ætas pro singulis ordinibus suscipiendis, hodie tamen standum est dispositioni Trid. sess. 23. c. 12. Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promovetur. Ad primam Tonsuram vero *Ex jure* præsertim ejusdem Trid. c. 4. colligitur, requiri saltem septennium; debet enim habere usum rationis, & scire rudimenta Fidei, & item legere, & scribere: &, licet Gob. & Quintan. putent, posse aliquem præcocis judicii tonsurari ante septennium, tamen standum est juri, & praxi Ecclesiæ: Croix num. 2306. Ad Ordines Minores, et si multi cum Nav. probabiliter dicant, requiri annum 14. tamen probabilitas, & communius apud Leandr. sufficit etiam septennium completum, quia non apparet prohibito in contrarium: quoniam vero non statim à septen- nio scit puer, quæ requirit Trid. pro Minoribus, ideo communiter non statim, sed post 12. completum sunt ordinandi. Denique ad Ordinem Episcopalem requiritur annus 30. completus, ex cap. *Cum in cunctis, de Elett.* & Bull. Greg. XIV. *Onus:* quamvis in Regno Galliæ ex concordatis sufficiat annus 27. v. Pal. de *Benef.* d. 4. p. 3. n. I.

Quæ-